

Serie Generale 354

Amedeus comes Sabaudie et in Ythalia marchio, dilectis fidelibus suis nobilibus, burgensibus, consilio et comuni Montis Calerii salutem et dilectionem sinceram. Cum nos concordaverimus cum Philippo de Sabaudia beatissimo nepote nostro nomine suo et fratrum suorum, tali modo quod nos dicto Philippo tradamus et deliberemus totam terram Pedemontis, excepta terra nostra Vallis Secusie, quam nobis et nostris heredibus retinemus, et predicta terra Pedemontis idem Philipus fidelitatem ac homagium ligium nobis fecerit et de omni eo quo a nobis predicti Philipus et fratres sui petere possent ratione comitatus Sabaudie et ex alia quacumque ratione seu causa dictus Philipus nomine suo et dictorum fratrum suorum pro se suisque heredibus nos et heredes nostros quietaverit, vobis universis et singulis precipimus et mandamus q(...)q(...)us^{1[1]} ad requisitionem dilecti et fidelis nostri domini Hugonis de Rippe clari militis predicto Philippo de fidelitate et homagio ac aliis usagiis in quibus nobis tenebamini, respondeatis et eidem de cetero tamquam domino obediatis vestro.

Datum Chamberiaci, die iovis post festum conversionis Sancti Pauli, anno Domini M°C°C nonagesimo quarto.

(S. P. D.)

^{1[1]} Così nel testo probabilmente per quatinus.